Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1828)

Lucy 1529

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-octavâ Martii.

M. MATTHÆO THUILLIER, Doctore Medico, Præſide.

An potus Café, *cum lacte ſalubrior?*

HOMINIS moles, tot admiranda functionibus, quot machinis inſtructa, ſicut adaugetur incremento, & ſenſim reficitur; ita diminutione deperit, ac in dies extenuatur. Suarum viciſſitudinum cauſas ſentit domeſticas, peregrinas: quæ impellendo, urgendo ve, fluida ſic agunt in vortices; ut conſervandæ moli, adjiciendo, provideant; aut, ſolida depaſcendo, depopulentur & vaſtent. Hinc quicquid ſtaturæ ac vitæ detrahitur; id per alimenta utcunque reponitur. Horum perennis neceſſitas inſtitorem habet exquiſitiſſimum tactum, famis atque ſitis ſtimulis identidem irritandum. Mirùm, quot & quantis neceſſitati illi faciat lurco, gurges atque helluo? Eleganter eſurit: ſitit pretioſiùs. Quoſcunque cibos iniquo ille commiſcet connubio: vina generoſiſſima, quæ moderatè pota obfirmandæ moli ſerviunt, exanimare perniciosè doctus; ab illis, igne tortore, extorquet, unde titilletur acriùs; deteratur, ac ſubdolè corrumpatur. Hinc tam diverſæ *ficci*, *meracioris*, *fœniculati*, liquorum ardentium ſpecies, tàm frequentes œconomiæ corporeæ peſtes. Mas ſit, an fœmina; cauſarius, firmus; Gallus an Arabs: perinde eſt: peſtes illas avidiſſimè helluatur. Suum pariter *Cacao* urit; ſuum torret *Café*; & ab hoc coquendi ille artifex elicit, unde quæſitæ ſiti blandiatur jucundiſſimè. I nunc ſapiens, & pallidus ſuda; ut vivendi normam lurconi illi imperes utilem. Si vis tamen gliſcenti huicce *Café* abuſui utcunque mederi: decoquendo *Café* id aſſigna menſtruum, quod ipſius emendare vitia, ac commendatiſſimas quaſque dotes ſorbenti, ſine ullâ ſtomachi noxâ ſecum apportare valeat.

INTERPOLATA viventis refectio, eſt continuata quædam partium reproductio. Erraret tamen, qui deperditam harum ſubſtantiam ad amuſſim aſſimilari poſſe contenderet. Suæ ſunt cuique mixto particulæ; quoad figuram & numerum ſingulariter deſignatæ. Has, quia perpetuùm diffluunt, per convenientes analogas fœliciter inſtaurabis. *Conveniens enim cum conveniente cohæret.* Porro id alimentum dicitur, quod [ut habitudinem decet] molitum, digeſtum, ac poris vacuis, impellente ſpiritu, incuneatum, defectam partem quodam modo ſupplet. Remota alimenti materia, è vegetantium, aut animantium promo condo, naſcitur ſpontanea, vel arte conficitur: Ars tota naturæ ſervit, cùm miſcet ὁμοιομερεῖα, non turdis conchylia. Numeroſæ ſi quidem intus in ventriculo glandulæ liquore ſubtili & ſpirituoſo extillant, è chyli moleculis, non ita pridem ſubactis, reſiduo. Hæ multigeneres, ex mutuo quod iiſdem cum ſanguine fuerat commercio, vitalitate donatæ, menſtrui nobiliſſimi indolem induunt, atque vim ſolvendi alimenta, ſuis figuris accommodata, mirabilem nanciſcuntur. Enim verò, ſi familiare, & ex illis quæ ſeſe invicem contemperant, eſculentum, potulentum ve oggeras: id genus fermentum ſic ſe in illius irruit vacuola; ut ſine tumultu minima disjungat à minimis, ſpirituoſa à fœculentis, & ab inutilibus utilia; verbo dicam, chyli pretioſum laticem, disjungendo, extrahat. Verùm, ſi ad commiſcendi, macerandi, coquendique eſculenta, potulenta ve methodum animum adducas tuum; non unâ ratione vinces: refectionem molis corporeæ non magis ſolventi alimenta menſtruo, quàm his eruditè præparatis, deberi acceptam.

ET revera, ad refectionem duo concurrunt imprimis neceſſaria; rei nempe, quæ alimentum futurum eſt, juſta ſimplexque præparatio; atque, ut in alimoniam cedat, peculiaris ejuſdem rei in ventriculo ſubactio. Hinc, qui triticum tundit, aquâ fermentoque macerat, ut illud ad mollitudinem coquat; is nequaquam famulatur uſui, at rationi auſcultat: & qui hordeum, fontem, tempeſtatemque, ad cerviſiam genuina, diſcernit, ac adjectis veteris cerviſiæ fæcibus, & floribus lupuli, recentis cerviſiæ eruditatem edomat; idem naturæ imitator ſedulus, & curioſus artis ſectator, potionis genus ſibi decoquit levitate ac ſalubritate gratiſſimum. Fontes petroſi, frigidi, indomabiles indurant legumina; quæ ad putrilaginem peſſundarent thermales & lutulenti: hæc per fontem mediæ ſortis gnaviter peritus emollit. *Café* ſemen exoticum, ex quo potus indigenis ſaluber, principiis conſtat pernicibus, fixis, craſſo ac copioſo phlegmate tenaciter catenatis. Semen ejuſcemodi, crudis ac obſtructionibus gignendis aptiſſimum, ægrè ad tuos uſus accomodes: tàm intricatæ ipſi intrinſecùs hærent nutritiæ ac balſamicæ dotes. Neque tibi ſat actum puta, ſi ipſius *Café* pugiles, torrendo, evolueris; pernicitati nativæ penitùs reſtitueris; abſtruſaſque ipſorum dotes egregiè explicaveris: longè ſuperſunt plura, quæ in illius uſu explores; ut potum ab eodem extrahas vulgari ſalubriorem. Summa nimirum evolutorum principiorum cœrcenda mobilitas: figuræ multiplex emendanda inconcinnitas: ac demùm amaritudo inſolens, aquæ nullius commercio artificiosè edulcanda. Opus negotioſum ſanè: à quo tamen te conſultò expedias; ſi torrefactum tritumque *Café* cùm lacte recenti diluas, atque unà leviter ac igne molli decoquas.

CHYLUS, candore & ſapore ſingulari ſpectabilis, per mammarias glandulas tranſcolatione ſecretus, ſaliniſque ac ſpirituoſis ſanguinis, quem alluendo præterfluit, particulis promiſcuè temperatus, lac animalium eſt, lactentis & ablactati alimentum proximum. Subſtantiam habet terreſtrem, ſulphuream; & utramque, ne in coagulum abeant, ſalina, ſero diluta uberrimo, indefinenter exagitat. Lac ſic comparatum, amarulentas noxiaſve *Café* moleculas occultâ ſuâ aciditate contemperare mirabiliter habile; ſalinas illius fugaces & actuoſas, quæ, dum ſpiritus animales miris impellunt modis, vigilias invehunt, & hyſtericos motus irritant, exaſperant, amicâ velut compede vincit per butyroſas & caſeoſas, quibus dives eſt, particulas. Hinc *Café* potus cum lacte firmat benè habitos, aſthmaticos liberat, redintegrat phthiſicos, melancholicos recreat, calculoſos ſublevat, renovat defectos, faſtidioſos demùm ad appetentiam provocat, referat obſtructos, ſterileſque fœcundat. Has *Café* potûs cum lacte commendatiſſimas dotes nullus, putem, demiraberis; qui ex analyſi ſyntetive chymicâ intelligis, rerum facultates & vitia ab æquâ, vel iniquâ illarum commiſtione, eſſe ubicunque decidua. Contra verò, *Café* pugiles, ſi cum aquâ ſimplici coquas, magis ac magis ejus ope evoluti, ſtomachi fibras ſuâ vellunt acrimoniâ; dùmque in abditos ac penetrales ſanguinis ſpirituumque ſoto, ac in imos artus inconcinni & inſociabiles ſubrepunt, functionum depravant œconomiam, valetudini ſenſim & ſine ſenſu inferunt noxam. Aduſtæ quippe *Café* moleculæ, ut amara ſolent, poris multifariis inſtructæ, ſalinas, ſulphureas, quæ utiles ſanguinis partes erant, abſorbendo, furtim abripiunt, ſecumque per declives urinæ tractus ubertim deturbant.

UT igitur conſtat hominis molem ex lacte ab initio coaleſcere, ac per ætates augeri, reſtitui; eaque, ex quibus *Café* conflatum eſt, vires ſuas cum lacte ſociare ex facili: potionem exutroque attemperatam omni ætati ac ſexui, valenti atque infirmo ſecuriùs propinabis. Quidni? iſtæc ſic unita facultates ambas præcellentes obtinent, ſal fugax, fixumque, & balſamicas, quibus abundant, particulas. Hæ ut exhalant ſuaviſſimè; ita & ſpirituoſum ſyſtema fovent & alunt alacriùs, ac munia functionum, ſi quæ depravatæ torpent, exuſcitant; habitum corroborant. Mirare, quàm præſtantes & robuſtos homines ferant Orientis plagæ. Eduliis, quæ ſucco ſaleque nativo condiuntur, contenti ut plurimùm; potione *Café* cùm aquâ decocti, evadunt inediæ patientes, durabiles ad laborem, atque ad vigiliam faciles. Noſtri verò, quibus ſine cupedia & embammatis optima quævis ſordent, quod allio, ſale, pipere aliiſve voluptuariis æſtuent; mobiles adeo, adeoque efficaces *Café* ſtimulos vix impunè ferunt; ni lactis connubio importunitatem, quam pariunt illi, induſtriè refrænent. Hinc ſedant viſcerum æſtus; quoties iſtæc vigiliis, curis, aut inediæ deprædatione conſumpta, intus allatrant; vel gulâ uberiore gravida, laborem recuſant. Si ſanguinis penum, ubi languet depauperatus, iſtâ potione exhilaras; atque ubi craſſus hæret ac lutulentus, incidis, repurgas: profectò ad mentis & corporis officia melior promptiorque moveberis. At, quod rei colophonem addit, *Café* lactis, ſi aceſcat, emendat vitia; laxam pulmonum compagem ſuo amarore firmat ac durat, arctam & aſtrictam laxat ſua dulcitudine; bilis ac urinæ vias aperit; porrò alvum ſiccam humidat, linit, atque leniter citat.

Ergo Café *potus, cum lacte ſalubrior.*

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Proponebat Pariſiis PETRUS LE TONNELLIER, Novigentinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1697.